

DE REMISSIONE PECCATORUM MORTALIUM. 65
nitentiâ ac in Baptismo remissio fit vi meritorum &
passionis Christi, ergò in utroque Sacramento semper
tota pœna remittitur. Denique non esset perfecta re-
missio, si remaneret pœna temporalis.

Ad 1. non repugnat amicitiae exigere satisfactio-
nem justitiæ debitam nondum condonatam, talis est
pœna temporalis remissâ pœnâ æternâ restans.

Ad 2. disparitas est, quod in Baptismo applicentur
merita Christi renatis ut primò in familiam Christi
assumptis; in pœnitentiâ verò ut semel assumptis sed
qui post acceptam innocentiam per ingratitude[m] re-
lapsi sunt, unde non tota, sicut in Baptismo, pœna
remittitur.

Ad 3. perfecta est remissio, in quantum totaliter
tollitur illud, quod à Deo avertebat.

DISPUTATIO XXXI.

De remissione venialium.

PER pœnitentiam remitti peccata venialia certum est:
cum per illam graviora peccata: nempe mortalia re-
mittantur; sed plures circa venialium remissionem sunt
difficultates, unde sit.

QUÆSTIO I.

*An ad remissionem venialium requiratur Sacramen-
tum pœnitentiæ vel sufficiant Sacramentalia?*

SUPpono I. Quod sicut ex peccato mortali, quod
est peccatum simpliciter, relinquitur macula nem-
pe privatio gratiæ sanctificantis, charitatis ac aliarum
virtutum, ita ex peccato veniali, quod est Dei offen-
sa secundum quid, relinquitur macula, quæ consistit in
privatione fervoris extensivi charitatis; fervor enim
charitatis est duplex: alius *intensivus* alius *extensivus*;
intensivus est gradualis perfectio, aut intensio, quæ in-
venitur in habitu vel actu charitatis; fervor extensivus

III. Partis Theol. Schol. suppl.

E

est

est promptitudo &abilitas charitatis, quæ sine ullo obice vel impedimento per actus sive elicitos sive imperatos faciliter fertur in Deum, & cum Deo amicabiliter conversatur; sicut ergo peccatum veniale actuale non diminuit fervorem intensivum charitatis, sed tantum extensivam illam perfectionem: faciens enim affectum iusti adhærere creaturis impedit, ne tam promptè & amicabiliter per actus elicitos vel imperatos charitatis in Deum super omnia dilectum feratur; sic peccatum veniale habituale non consistit in carentia illius nitoris & perfectionis, quam anima habet ex intensione charitatis, sed in carentiâ nitoris illius, quam anima recipit à charitatis extensione ad plures tam suos quam subditarum virtutum actus.

Suppono 2. Per Sacramentalia propriè intelliguntur sacræ quædam caremonia in Ecclesiâ Catholicâ usitata & ab eâdem instituta ad hoc, ut vel Sacramenta magis solemniter celebrentur, vel ut res aliquæ consecrentur, quæ deindè vel in usum Sacramentorum aut sacrificii ut sunt oleum, altaria, sacræ vestes &c. vel in alios pios usus adhibentur: ut cerei, imagines, agni Dei, præter hæc alia solent à DD. numerari, quæ propriè quidem non sunt Sacramentalia, eosdem tamen subindè cum Sacramentalibus effectus produciunt, talia sunt oratio dominica, in quâ propria petitione remissio peccatorum, utique etiam venialium, rogatur, aquæ lustralis aspersio, unctiones, quæ Sacramenta non sunt, panis benedictus in antiquâ Ecclesiâ præcipuè usitatus, alique cibi benedicti soliti, recitatio confessionis generalis, datio Eleëmossynæ, cui præcipuè in sacrâ scripturâ remissio peccatorum promissa est, benedictio Episcopi, Abbatis alteriusve sacerdotis; additur ab aliquibus ingressus Ecclesiæ, auditio confessionis.

Suppono 3. Sacramentalibus propriè dictis varii tribuuntur.

buuntur effectus non quidem infallibiles sed fallibiles, nec semper omnes ab eodem sed diversi à diversis, nunc hi, nunc illi causandi 1. operatio sanitatis corporalis 2. compressio dæmonis, ne noceat vel tentet, qualiter alias posset aut vellet 3. remissio pœnæ temporalis 4. excitatio prævenientis gratiæ 5. remissio peccati venialis, de quo effectu quæritur, qualiter per Sacramentalia causari possit.

DICO 1. *Ad remissionem venialis peccati sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestatur peccatum veniale vel explicitè vel implicitè.* S. Th. hic Q. 87. a. 3. O.

Probatur 1. Minor dispositio requiritur ad remissionem venialium, quam mortalium; sed extra Sacramentum mortalia delentur per pœnitentiam & contritionem nempe perfectam; ergo etiam poterunt venialia deleri extra Sacramentum per detestationem vel explicitam vel saltem implicitam, sicut mortalia delentur per contritionem implicitam nempe in actu dilectionis Dei super omnia inclusam; cum alias, si ad illorum remissionem requireretur Sacramentum vel etiam contritio perfecta, non essent materia tantum sufficiens & libera Sacramenti, sed necessaria, contra supra dicta.

2. Ad deletionem venialis plus non requiritur quam satisfactio supernaturalis eidem opposita, sed talis detestatio explicita vel implicita nempe ex motivo supernaturali pœnitentiæ est actus satisfactionis supernaturalis & quidem de condigno, supponitur enim esse actus hominis iusti & habet oppositionem cum illo: quia tollit inordinatam adhæSIONEM ad creaturam; ergo talis detestatio sufficit.

Quod autem talis detestatio requiratur, & non sufficiat ad remissionem peccati venialis quicumque actus meritorius vel supernaturalis hominis iusti, ita ut nul-

lum etiam veniale peccatum in hâc vitâ homini remittatur sine aliquâ saltem virtuali pœnitentiâ; indè est: quia cum homo per quodlibet peccatum veniale verè offendat Deum, & aliquo modo recedat à voluntate Dei, ut illi condonetur offensa, de lege ordinariâ debet redire ad Deum aliquo actu contrario; non enim offendens potest fieri non offendens (saltem de lege ordinariâ) nisi aliquo actu contrario offensam retractet; sed ille reditus ad Deum illaque retractatio offensa non potest esse nec intelligi sine aliquâ formali aut saltem virtuali pœnitentiâ, aversione & displicentiâ peccati.

Adde: Actus, per quem remittitur peccatum, debet habere aliquam oppositionem cum peccato; sed quodlibet opus meritorium non habet eo ipso oppositionem cum peccato veniali; cum etiam actus charitatis possit consistere cum actuali complacentia peccati venialis; ergo requiritur detestatio & displicentiâ peccati venialis, ut remittatur.

Hujus ratio ulterior ita deducitur: peccatum veniale habituale est carentia fervoris extensivi charitatis causata per inordinatum affectum ad creaturas, sed illa non tollitur sine formali vel virtuali displicentiâ peccati venialis: quia illa non tollitur sine detestatione & displicentiâ affectus in objectum peccati venialis, qui affectus tamdiu est habitualiter perseverans, quamdiu non retractatur ut enim ait S. Th. hic a. 1. *Sicut peccatum mortale remitti non potest, quamdiu voluntas peccato adheret, ita nec peccatum veniale, quia manente causa manet effectus.*

Undè nec ad remittendum veniale sufficeret actus fervidæ charitatis, nisi formalem vel virtuales illius peccati venialis retractationem & displicentiâ includeret; cum non possit remitti peccatum, donec retractetur affectus in illud, potest autem affectus habitualis ad peccatum veniale stare cum actu charitatis, ita
idem

idem S. D. hic a. 2. ad 3. discurret; Dicendum: quod sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, primo modo per privationem ejus, quod requiritur ad decorem puta debiti coloris aut debita proportionis membrorum; alio modo per superinductionem alicujus impediens decorem, puta luti & pulveris, ita etiam anima inducitur macula, uno modo per privationem decoris gratie per peccatum mortale, alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale & hoc fit per peccatum veniale & ideo... ad tollendam maculam venialis peccati requiritur actus aliquis procedens ex gratia, per quem removeatur inordinata adhesio ad rem temporalem.

Quod autem hæc detestatio & displicentia peccati venialis non necessario debeat esse formalis, sed sufficiat virtualis, ita ostenditur: licet ad tollendum mortale regulariter requiratur formalis detestatio, illa tamen non requiritur ad tollendum veniale peccatum ut loc. cit. a. 1. O. explicat S. Th. dicens: Exigitur ad remissionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est: ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememoranda singula peccata mortalia, ut singula detestetur; sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum... unde sequitur, quod requiratur quedam virtualis displicentia: puta cum aliquis hoc modo secundum affectum fertur in Deum & res divinas, ut quidquid sibi occurrerit, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei & doleret, se hoc commississe, etiam si actu de illo non cogitaret, quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem, ibidem ad 1. dicit: pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus & singulis peccatis mortalibus, sed ad pœnitentiam

nam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vite non patitur. Addit ibidem ulterius S. D. (quod pro consilio in peccatorum venialium confessione est observandum) debet tamen habere propositum se preparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi vel tollendi impedimenta spiritalis profectus, quae sunt peccata venialia.

Obj. Alia Sacramenta venialia peccata remittunt & quidem ex opere operato; ergo possunt venialia remitti sine actu poenitentiae.

R. Negando consequentiam: quia Sacramenta praesupponunt actus virtutum tanquam dispositionem ad dignè suscipienda Sacramenta & recipiendi effectum Sacramentorum, gratiam vel ejus augmentum ut rursus docet S. Th. hic Q. 87. a. 2. O. Quia, ait, in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse peccata venialia, non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum, ideo quaecumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur, in sequenti art. 3. O. addit: & hoc modo per Eucharistiam & extremam unctionem & universaliter per omnia Sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Hucusque S. D. eodem modo per Sacramentum poenitentiae ex opere operato venialia remittuntur, sed non sine contritione, quae affectum & complacentiam venialium excludat, & eorum detestationem conjunctam habeat, sine qua contritione, qui sola peccata venialia, nullum eorum detestatus, confiteretur, Sacramentum poenitentiae invalidaret, nec sine sacrilegio susceperet.

Nec dicas: Ex hoc sequitur: peccata venialia in Sacramento poenitentiae remitti potius ex opere operantis, quam ex opere operato. Nam

Nam contrà est : quòd Sacramentum Pœnitentiæ ex opere operato producat gratiam sanctificantem specialem cum jure ad specialia auxilia conducentia ad emendationem peccatorum venialium, & excutiendum torporem per venialia peccata causatum.

DICO 2. *In quantum sunt cum aliquo motu reverentia in Deum & ad res divinas ... benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, qualibet Sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem peccatorum venialium S. Th. hic Q. 87. A. 3. O.*

Explico : Per Sacramentalia non remittitur peccatum veniale ex opere operato & immediatè sed mediatè, quatenus nempe homo justus in usu Sacramentalium excitatur ad motum pium formalis vel virtualis Pœnitentiæ eliciendum.

Probatur : Ecclesia non habet potestatem suâ institutione efficaciter rebus aliquibus annectandi vim remittendi venialia ; sed Sacramentalia, si aliquam talem vim ex opere operato haberent, non haberent eam, nisi tantum ex institutione Ecclesiæ ; ergo, Mi-
patet præsertim quoad propriè dicta Sacramentalia, cum enim ab Ecclesia immediatè, non autem ab ipso Christo instituta sint, nullam vim ex opere operato habebunt, quam ab Ecclesia non acceperint, Maj. probatur : quia posse vim remissivam venialium annectere Sacramentalibus, plus est, quam posse per se remittere immediatè venialia ; sed extrà collationem Sacramentorum non possunt Prælati Ecclesiæ immediatè alicui remittere venialia : nullus enim Prælatus ecclesiasticus hanc in se potestatem agnoscit, undè etiam cum indulgentias impertiuntur, non remittunt culpas, sed pœnas temporales pro remissis culpis debitas.

An ad remissionem venialium requiratur infusio gratiæ?

DICO *Ad hoc, quod peccatum veniale tollatur, non requiritur, quod infundatur aliqua habitualis gratia* S. Th. hic Q. 87. A. 2. O. sive requiritur quidem antecedenter ad remissionem peccati venialis infusio gratiæ habitualis, sed non formaliter, semper tamen aliqua gratia concomitanter conferitur sive in esse physico sive in esse morali.

Prima pars probatur: non potest restitui fervor charitatis, quin prius supponatur restitutio ipsius charitatis & gratiæ: quia fervor ille est perfectio accidentalis charitatis, & ipsa familiaritas cum Deo sive promptitudo per actus supernaturales conversandi cum Deo; ergo per prius supponitur infusio charitatis & amicitiae cum Deo, undè quando homo in sua justificatione acquirit non tantum mortaliū sed etiam venialium peccatorum remissionem, remissio mortalium & infusio gratiæ præsupponitur natura prius, quàm remissio venialium.

Secunda pars probatur: id non requiritur formaliter ad remissionem peccati venialis, per quod formaliter non deletur peccatum veniale; sed peccatum veniale formaliter non deletur per infusionem gratiæ: quia per illud formaliter non deletur peccatum veniale, quod peccato veniali formaliter non opponitur, nec est incompatible cum illo; sed gratia sanctificans formaliter non opponitur peccato veniali, sed veniale potest simul stare cum gratia: ergo.

Dices imprimis gratia habitualis est participatio divinæ naturæ, ergo sicut natura divina pugnat cum omni peccato veniali, ità etiam gratia sanctificans

ificans. Deindè gratia patriæ formaliter opponitur veniali; ergo etiam gratia viæ: cum sint ejusdem rationis.

℞. Ad 1. vel Negando sequelam: eo quod nimium probet, cum enim natura divina pugnet cum omni imperfectione morali, sequeretur, quod in habente gratiam sanctificantem, nulla amplius posset esse imperfectio moralis, quam tamen certò compatitur gratia sanctificans: vel distinguendo Ant. gratia habitualis est participatio divinæ naturæ accidentalis & analogica Con. univoca & substantialis N.

℞. Ad 2. vel Negando vel Distinguendo Ant. gratia patriæ quatenus gratia est, sic opponitur veniali N. quatenus est consummata & conjuncta cum visione & amore fruitivo Dei, cujus fervor formaliter opponitur omni peccato veniali Con. hæc verò oppositio non oritur ex specifica ratione gratiæ, sed ex complemento amoris fruitivi, quod complementum gratia viæ non habet.

Tertia pars probatur: quoties peccatum veniale remittitur, aut remittitur ex opere operantis extrâ Sacramentum virtute actus meritorii & satisfactorii, aut in Sacramento ex opere operato sine opere meritorio; si primum: tunc vel ille actus est intensior habitu gratiæ præexistente, & tunc per se confertur augmentum gratiæ in esse physico vel qualitatis, vel est minus aut æquè intensus, & tunc confertur augmentum gratiæ in esse morali vel in esse gratiæ juxtà dicta 2. 2. Disput. XIV. Q. II. in Sacramento autem dignè recepto semper una cum remissione peccatorum infunditur gratia ex opere operato, licet tunc attritio non sit meritoria, nec à gratia habituali, sed auxilio transeunte procedat. Dixi: à gratia habituali: quia cum ad remissionem peccati ve-

nialis requiratur actus bonus & supernaturalis, necessario debet actus ille procedere ex gratia actuali.

Q U Æ S T I O III.

An veniale peccatum possit remitti sine alio veniali vel mortali ?

DICO 1. *Potest impediri remissio quantum ad aliqua venialia* S. Th. hic Q. 87. A. 3. ad 3.

*Probat*ur ex dictis supra : peccata venialia remittuntur per actum Pœnitentiæ, quo vel formaliter vel virtualiter detestamur peccata venialia, sed possumus unum peccatum veniale detestari & non aliud nempè ex motivo proprio alteri peccato non communi.

Obj. Unum peccatum mortale non potest remitti sine alio : quia macula inducta per quodlibet peccatum mortale, tollitur per formam omnibus æquè oppositam ; ergo neque remitti potest unum peccatum veniale sine alio : quia etiam relinquit maculam tollendam per formam oppositam. Ut hic Q. 87. A. 2. ad 3. S. Th. supponit. Dum inquit : *ad tollendam maculam venialis peccati &c.*

Res. Negando consequentiam cum subjuncta probatione : licet enim ex peccato veniali relinquatur macula, hæc tamen non est simpliciter sed secundum quid talis, non enim tollitur peccato veniali nitor ille, quem habebat anima ex gratia sanctificante, sed solum superinducitur impedimentum illius nitoris propter inclinationem affectûs ad creaturam, secundum diversam igitur inclinationem diversum est impedimentum, quod per expeditionem affectûs rursus tollitur, undè non est eadem forma tollens maculam peccati venialis, sicut est unica forma tollens maculam peccati mortalis. probatur illud ulterius verbis S. Th. in 4. dist. 16, Q. 2. A. 1. Q. lã. 2.

ta, quæ non habent connexionem ad invicem, unum potest auferri sine altero: sed quæ habent aliquo modo connexionem, unum non potest sine alio auferri, peccata autem mortalia, quamvis non habeant connexionem ex parte conversionis, habent tamen connexionem ex parte aversionis... venialia autem non habent connexionem; neque quantum ad conversionem neque quantum ad aversionem: quia in eis nulla est aversio à fine: Et si sit aliquis defectus in actu eorum, quæ expediunt ad finem ibid. ad 3. peccatum veniale, quamvis Deo displiceat, quia inordinatum est, non tamen facit peccantem Deo displicentem: quia non privatur claritas gratiæ, sed quodammodo obnubilatur, in quantum ejus processus ad exteriora impeditur; Et ideo Greg. dicit, quod peccatum veniale obscurat, sed mortale obtenebrat.

DICO 2. ille qui est in peccato mortali, caret gratia Dei, unde nullum veniale sibi remittitur S. Th. hic Q. 87. A. 4. O.

Explicatur Et probatur: quia peccatum veniale non remittitur, nisi restituatur perfectio accidentalitatis nitentis gratiæ & charitatis, cujus privatio est macula per peccatum veniale relicta juxta statim dicta, non potest autem dari perfectio accidentalitatis nitentis gratiæ & charitatis animæ non habenti gratiam, ut per se patet, ergo non potest remitti peccatum veniale, nisi jam ante habenti gratiam, vel eam simul infusam accipienti, atqui nullus existens in peccato mortali habet gratiam, quæ cum peccato mortali est impossibilis.

Confirmatur: cui remittitur peccatum veniale, exhibetur signum amicitiae & reconciliationis, atqui existenti in peccato mortali utpote inimico Dei non potest exhiberi signum amicitiae & reconciliationis, ergo existenti in peccato mortali non potest remitti veniale.

Adde

Adde : quod nullum dimittatur peccatum illi, qui non dimiserit fratri suo juxta illud Matth. 6. v. 15. *si non dimiseritis hominibus : nec pater vester celestis dimittet vobis peccata vestra*, si verò veniale peccatum posset remitti sine mortali, jam existenti in peccato mortali odii adversus proximum & non dimittenti, posset dimitti debitum culpæ venialis.

Obj. 1. descendentes ad purgatorium dimittuntur peccata venialia ut seq. *Quæst.* dicitur, ergo etiam descendentes in infernum : quia utriusque sunt extra statum viæ.

R. Negando paritatem : quia descendentes ad purgatorium eliciunt actum ferventissimum charitatis, quo se existentes in gratia ad remissionem peccatorum venialium disponunt, talem actum non eliciunt damnati in inferno.

Obj. 2. per peccatum veniale non est homo aversus ab ultimo fine, sed tantum est inordinatus circa media ; ergo illa inordinatio potest tolli per actus, quibus se ordinatè habeat circa media, licet maneat aversio ab ultimo fine.

R. Negando conseq. licet enim peccato veniali homo non avertat se ab ultimo fine, incurrit tamen maculam, quæ non tollitur per quamcunque operationem rectam, sed per actum à gratia & charitate procedentem, potest quidem v. g. per actus temperantiæ tolli prava inclinatio in actus intemperantiæ, ac ità remanens in statu peccati mortalis potest acquirere imperfectam virtutem peccatis venialibus oppositam, culpa tamen relicta non aufertur, nisi ablatâ culpâ peccati mortalis.



DE REMISSIONE VENIALIUM 77
QUESTIO IV.

*An s̄ quomodo peccata venialia post vitam
possint tolli?*

DICO : dicendum , quod culpa venialis in eo ,
qui cum gratia decedit , post hanc vitam dimittitur S. Th. in supplem. Q. 100. A. 6. Q.

Probatur 1. Ex S. Scriptura Matth. 12. cum
Christus exposuisset differentiam inter blasphemiam
in Filium , & blasphemiam in Spiritum Sanctum , de
hac subjungit : *non remittetur ei neque in hoc saeculo ,
neque in futuro* ergo etiam in futuro saeculo est pec-
catorum remissio ; si enim , ut Hæretici volunt ,
illis verbis voluerit Christus significare , quod pec-
catum in Spiritum Sanctum nunquam remittetur ,
inconvenienter dixisset , quod nec in hoc nec in
futuro saeculo remitteretur , distinguendo duplicem
pro duplici saeculo remissionem.

2. Autoritate SS. Patrum S. Aug. lib. 21. de civit.
Dei cap. 24. *neque de quibusdam veraciter diceretur ,
quod non eis remittatur , neque in hoc saeculo , neque
in futuro , nisi essent , quibus etsi non in isto , tamen
remitteretur in futuro* S. Bern. serm. 66. in cant. qua-
rant ab eo , qui dixit , *quoddam peccatum esse , quod
neque in hoc saeculo , neque in futuro remitteretur , cur
hoc dixerit , si nulla maneat in futuro remissio purgatio-
ve peccati ?* neque loquuntur Sancti Patres de sola re-
missione quoad pœnam , quia hæc non tantum le-
vibus sed etiam gravibus peccatis pro futuro saeculo
comperit.

3. Ratione desumptâ tum ex ipso nomine purgato-
rii . quod dicitur à purgando , nihil autem propriè pur-
gatur , nisi à sordibus , tum ex eo , quod non pauci
justi ex hâc vitâ decedant Apoplexiâ tacti aut somno op-
pressi aut vi morbi in amentiam lapsi etiam non retracta-

to affectu peccati venialis, quibus proinde vel remittetur in altero sæculo peccatum veniale, vel æternum remanebunt à beatitudine exclusi: cum nihil coinquinatum intret in regnum cælorum; ergo cum talis homo habeat jus ad gloriam cælestem, nec tamen sit obtenturus gloriam sibi debitam, nisi remittatur culpa, quæ, ut supponitur, nunquam est in hac vitâ remissa, nec etiam reddit illum æternâ beatitudine indignum, tali remittitur culpa in ingressu alterius vitæ, quo tempore anima seperata per ferventem actum contritionis & dilectionis ad venialium peccatorum remissionem disponitur: homini enim justo habenti jus ad cælestem gloriam debetur remedium, quo possit amovere peccatum veniale tanquam impediens affecutionem ipsius, quod fieri non potest, nisi auxilio efficaci gratiæ excitetur ad retractionem formalem aut virtuales peccati venialis, vel ergo justus divina gratia adjutus retrahat sua venialia ante separationem à corpore vel post illam? non ante: quia supponimus illum in peccatis venialibus mori, & experientia, id fieri posse, satis constat; si post separationem, tunc certè illud fit in ipso instanti separationis per actum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis: quia tunc anima perspicuè cognoscit, se propter præteritas culpas retardari à cælo, & detrudi ad pœnam purgatorii, ex quo fit, ut summo amore & desiderio prosequatur summum bonum simulque detestetur culpam retardativam illius.

Obj. 1. in altera vita non est locus merito & satisfactioni. Deinde per talem actum dilectionis Dei non remittitur pœna peccatis venialibus debita; ergo nec culpa.

R. ad 1. quod venialia non tollantur per actum contritionis & dilectionis tanquam meritorium & satisfactorium sed tanquam per dispositionem incompatibilem cum culpa.

Si dicat

Si dicas: S. Th. loc. in concl. cit. ad 4. videtur sentire, quod ille actus charitatis sit remissionis meritorius: Post hanc vitam non potest esse meritum respectu prami essentialis, sed respectu alicujus accidentalis potest esse, quamdiu manet homo in statu via aliquo modo. Et ideo in purgatorio potest esse actus meritorius quantum ad remissionem culpæ venialis.

R. Quod S. Th. ibidem sumat meritum latius prout comprehendit dispositionem, secundum quam ex divinâ ordinatione subiecto aliqua forma dicitur quasi debita. Hanc esse mentem S. Th. patet ex illis verbis Q. 7. de malo art. 11. Quia post hanc vitam non est status merendi, dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis culpæ, non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœna, sicut in hâc vitâ.

R. Ad 2. Quod pœna in alterâ vitâ deleri possit satisfaciendo in igne purgatorii, culpa vero non nisi per voluntariam retractationem expiari & remitti potest; deinde si pœna per actum dilectionis remitteretur, deberet remitti tanquam per satisfactionem, cum alio modo pœna non deleatur, quam satis vel faciendo vel patiando, actus autem dilectionis in alterâ vitâ non est satisfactorius, econtra culpa remitti potest per actum dilectionis, quatenus est dispositio incompatibilis cum illâ.

Obj. 2. S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 24. sentit culpas justorum in morte resecari, & si post mortem tollerentur culpæ veniales, non redderetur voluntas immutabilis, sed post mortem mutaretur, quod non videtur admittendum.

R. Licet aliquando culpæ justorum in morte resecantur per dolores & pœnalitates voluntariè assumptas, id tamen non semper fit, neque hoc S. Greg. asseruit. Ad id quod additur: dicendum est, quod post mortem volun-

voluntas quoad essentialem statum gratiæ & charitatis non possit mutari, accidentaliter tamen videlicet per remotionem impedimenti mutari potest.

DISPUTATIO XXXII.

De reditu peccatorum & meritorum.

Sicut per pœnitentiam omnia peccata mortalia & venialia, quæ vel formaliter vel virtualiter retrahantur, destruuntur, ità econtrà per peccatum mortale amittitur totus gratiæ charitatis & virtutum moralium infusarum thesaurus, verum dubitatur: an, sicut peccans amittit gratiam cum spe recuperandi per pœnitentiam omnia deperdita, ità quoque per pœnitentiam destructa peccata redire possint. De quo sit.

QUÆSTIO I.

An peccata possint redire?

Nota 1. Quod idem actus peccati etiam per absolutam Dei potentiam non possit redire, non ideo tantum: quia implicat ens successivum vel transiens idem numero reproduci, sed quia idem effectus à nullâ aliâ causâ principali, quam à Deo, potest reproduci, Deus autem nequit esse causa specialis actus peccaminosi, undè tantum quæritur de reditu peccatorum in esse morali, an nempe peccatum semel remissum possit rursus imputari ad culpam vel pœnam.

Nota 2 Peccata dupliciter posse intelligi redire: simpliciter & formaliter, si subsequens peccatum vel formaliter vel æquivalenter & virtualiter contineat totam malitiam culpæ & reatum pœnæ antecedentiũ peccatorum, ut peccatum sequens non tantum proprium inducat reatum, ut propter illum solum, si impœnitens moriatur, sit damnandus, sed etiam reducat antiquum, ac si ille nunquam remissus fuisset, sed semper perseverasset, ut etiam propter illa priora jam sit damnandus.

Deinde